



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XIV. Quia peccatores extrahere è peccatis potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Virginī etiam adscribunt victoriam ab hostibus Hispani obtentam ad Valencenas, ad Geldriam, Bredam, Calloam, Sonfonam, Bommeliā, Dulingvam: sed illa nominatior cæteris, quam memorat Spondanus ad annum 589. à Revaredo Rege Gottorum obtentam, vix à trecentis viris, 60. millia fortissimorum in fugam verſa, & maxima eorum pars gladio trucidata: hæc adſcribitur imagini miſſæ B. Virginis Hispanis à S. Greg. Magno. Arturus Britannorum Rex anno 520. teste *Westminster*. invocato Virginis auxilio, ſolus in Saxones cum gladio irruit, & ex illis 840. viros occidit, hoc contigit in obſidione Badonis facta à Saxonibus. Narrat anno 1551. *Fornerus lib. 5. Palmæ triumph. cap. 31.* Cùm Zuing'iani in Helvetia Duce ipſo Zuinglio pugnarent, viſa à plerisque imago Virginis ſplendida, & albicanti nube conveſtita, Catholicos præcedere, & miſſilia, atque jacula quæcunque ab hoſtibus intorquebantur retorquere: & certè ingens edita Zuinglianorum ſtrages, & ipſemet Zuinglius occubuit. Et illa victoria quam *Balinghem* deſcribit de hoſtium 150. millibus ab Angliæ Rege Henrico V. quinque partibus minore exercitu reportata, Divæ Virginis adſcribitur. Robertus Pius Gallia: Rex ut *Florentiſis in ejus vita*, dum obſediſſet Avalonem Burgundiæ Civitatem, & cum Clericis laudes Dei Deiparæq; cantaret, muri urbis ſpontè ceciderunt.

De Carolo Magno illo victorioſo, & Filio ejus Ludovico Pio narratur, quòd nunquam ad conſictum proceſſit ſine imagine D. Virginis. Ubi refert *Copenſtein de Roſario lib. 2. cap. 8.* Ipſe Deus facturus de victoria Gedeonem certiore *Jud. 6.* in Vellere dedit ſignum, quod erat myſterium Virginis, juxta *Ambroſium ſerm. 13. de Nativit.* Pharao hoſtis populi Dei mergitur in mari: & Deipara eſt hoſtibus Mare amarum. *Elifæus 4. Reg. 13.* victoriam divinatorius Regi Iſrael, jubet, ut per Fenestram ſagittas jaciāt, quæ Virginem notat. *Auguſt. 15. de temp.* Undè merito cum *S. German. Patriarch. 30. Jan.* idoneas canticis tubas inſemus, quippè de celo proſpiciens univerſorum Regina, ſuarum laudum declamatores benedictionibus coronat. Concurrant cum Regibus Principes, atque huic Regiæ applaudant in hymnis, ut quæ talem peperit Regem, qui dominatu mortis oppreſſos perbenevolâ humanitate ſuâ libertati reſtituit.

14. Quia peccatores extrahere è peccatis poteſt.

S. Catharina Senenſis ut in ejus vita ſcribitur aliquando hæc Deus Pater revelavit. Matri unigeniti Filij mei Mariæ Virginis datum eſt à bonitate mea, ut propter incarnati Verbi reverentiam, quicunq; etiam peccator ad eam debita cum veneratione

tione

ratione recurrit, nullo modo rapiatur à dæmone: Hæc est enim à me electa, parata, & posita tanquam Esca dulcissima ad capiendos homines, ac potissimum peccatores. *Richard. à S. Laur. ad Prov. 31.* Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. De ipsa scriptum est: Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, frigora nivis gelicidium peccati: vel hæc frigora sunt persecutiones malorum. Sequitur: Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus, id est diversis virtutum generibus. Vestes fervorum Mariæ sunt fides, & operatio. *Mulier Apoc. 12.* amicta sole, coronata stellis, calcans lunam, B. Virginem juxta *S. August. in Psal. 142.* notat. Hæc nimirum est, quæ & justis, qui Solem justitiæ habent, data est, & illis, qui sicut luna mutantur, & qui velut stellæ noctu vix micant. Illa scilicet *Cant. 6.* vocatur *Terrificata ut castrorum acies ordinata:* sicut nimirum in castris rara fides, pietasque virorum ita etiam maximos peccatores invenies, quos Maria recipit, & in illorum bonum jam vigiliis castrenses, jam victum, jam cætera ejusmodi ordinat. *Ecclesia Græca Men. 4. Martij.* Qui è sacratissimis tuis sanguinibus factus est caro, ille ò Domina à carne inquinatos emundat, unaque vires nostras per jejunia & labores adauget, jugi tua pro nobis intercessione permotus, idque propter Virginem, quæ ut *Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 5.* per hanc mulierem quæ drachmam invenerat, & convocat amicas, potest designari MARIA. *Idem lib. 1. cap. 2.* Maria interpretatur amarum Mare, quia mundanas delicias amaricat amatoribus suis, & amaritudines præfentes dulcorat charitatis igne. Idem cum *Idiota cap. 6.* orandum: Adjuva me clementissima Virgo Maria perditæ gratiæ Reparatrix, & da mihi pœnitentiam de commissis, impetra veniam de præteritis, tribue in præsentibus cautionem, præsta in futuris adversus omne malum fortissimam resistentiam. Narrat *Alanus de Rupe in Psal. p. 5. cap. 36.* Cùm B. Dominicus cuidam Britoni homini vano, & peccatori persuasisset, ut confiteretur: ubi ille flexit confessionem facturum, audiebat vocem quandam omnia peccata sibi suggerentem, ut eò plenius confiteretur, sed respiciens nullum authorem hujus vocis videre poterat: retulit id S. Dominico, ille statim agnovit B. Virginem dictantem peccata confitenti, tum finitâ confessione, consultat Sanctus Divam, qualem esset homini impositurus pœnitentiam, dixit Virgo certam, quam imponeret, implevit Brito, deinde sæculo relicto Prædicatorum ordinem ingressus, sanctè in eo vitam exegit. Cùm dies judicij immineret ait *Apoc.* quod sol & luna luctuosi erunt, imò cilicium induent: tum enim brevitatis temporis tantò majoris pœnitentiæ monebit, sed quis ille monitor? Virgo B. quæ teste *Bernard. serm. 3. in Salve est Sol & Luna.* Illa *Cant. 4.* comparatur Fonti, & Puteo, in his eam primò signa vindicis Dei dexteræ apparent, quando terram motu concutere

curere parat, ut ijs conspectis agant poenitentiam mortales. Luna est Deipara, sed ex qua præmoneris, qualis crastina dies futura. Undè putas vestes Esau *Gen. 27.* fragrant sicut odor agri pleni, quandò induit illis Jacobum Rebecca, nisi quia induit Rebecca? sint vestes etiam ipsius Esau, vestes tuæ, si illas induat tibi Rebecca, id est iuxta *Bernardin. serm. de B. Virg.* Maria, placebunt Deo, ut odor agri pleni. Hoedorum ipsorum carnes quando Rebecca coxit Isaac ita placuerunt, *Gen. 27.* ut propter illas daret benedictionem Jacobo. Ita Jonas in ventre ceti orans Jonæ 2, ubi illa dixit verba: *ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum* eijcitur in aridam, quia Templum Authore *S. Bonavent. in spec. Virg.* notat Deiparam.

Sed hoc ipsum fusiùs à *S. Jacobo*, itemque à *S. Marco in Liturgia* audiamus. Domina nostra sola, quæ sola nobis ex Deo Solatium, sola æstus in nobis existens Divinus Ros, cordis nostri exardescentis Guttæ Divinitus fluentes, tenebrosissimæ nostræ animæ splendidissima Lampas, dubitationis nostræ Directio, debilitatis nostræ Potentia, nuditatis nostræ Vestimentum, nostræ mendicitatis Divitiæ, insanabilium vulnerum nostrorum Medicina, lachrymarum nostrarum Ablatio, gemituum nostrorum Cessatio, calamitatum nostrarum Restauratio, vinculorum nostrorum Solutio, salutis nostræ Spes. *Andr. Hieros. orat. in Salut. Angelica.* Virgo hæc est Fermentum Sanctorum Dei, quo tota generis humani massa conspersa est, & ex uno corpore Christi, ceu panis factus, in unum coijt incredibilis concretio. Illam *Theod. Studita ode 5. Can. vocat* Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tenebrosam nebulam dissipavit. *Junoc. 3. serm. de Assumpt.* Luna nostra in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die. *Anselmus alleg. coelesti 27.* Aula universalis propitiationis. *Buseo in Hymno.* Auctrix reformationis intelligibilis. *Bonavent. super Salve.* Virgo clemens poenitentibus, pia proficiscentibus, & dulcis diligentibus. *Theosterict. in Canon.* Janua poenitentiae. *Ambros. serm. 13.* Vellus de quo omnes vellit. *German. orat. de Present.* Lampas splendidissima animæ nostræ.

15. Quia est maximæ post DEum gloriæ.

Mena Græcorum 22. Jan. id explicant: Semper & ubique inculpatissimam Numinis Matrem ingentem cantandi materiam, Apostolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demùm Coelibus esse datum, quidni tibi ô hominico? Quamvis imuta, & polluta aëria scia labia &c. ait innocentissimus *Cisimirus.* Cane cū *Damas.*
in